

sed alias quoque tali modo admixtas habeat quantitates ut attractio in contactu sit valde magna, non autem infinita. Talis autem quantitatum permixtio appellari solet ab Algebraistis *functio*. Porro evidens est innumeras fugi posse distantiarum functiones quæ huic conditioni satisfaciant. Quidquid ergo hætenus diximus non in eo sensu intelligendum est quasi veram hujus attractionis legem determinare velimus; hoc unum nobis erat demonstrandum, præter legem attractionis in duplicata distantiarum ratione decrefcentis, aliam quoque legem admittendam esse.

Inflabis 4. Corpuscula aliqua in contactu, & in minimis distantis sese repellunt, quod quidem patet corporum elasticorum exemplo & maxime radiorum solarium reflexione; immo non desunt subtilissimi doctissimi que philosophi qui vim attractivam in omnium corporum particulis ad certos usque limites admittunt; quam vim attractivam deinde in repulsivam abire affirmant, ita ut nullus omnino sit in rerum natura physicus immediatusque contactus. Unde sic argumentari licet. Tanquam universalis nature lex admitti non debet attractio, si corpuscula aliqua, immo omnia secundum aliquos philosophos, vim repulsivam demonstrant; atqui &c. Ergo &c.

Resp. Nego maj. Vis attractiva negari non potest ab iis etiam philosophis, qui in omnibus corporum particulis vim repulsivam admittunt. Certissimum quidem est sese repellere minimas quorundam corporum particulas, quidquid sit vis illa expulsiva; sed